

## CONCIO VII.

CUR ESUS CARNIUM MAGNOPERE CAVENDUS  
TEMPORE INTERDICTO.

I. Quia prohibitus. — II. Quia mortifero sub peccato vetitus. — III. Quia censuram Ecclesiae incurrit et saepe ultionem divinam. — IV. Quia scandalosus. — V. Quia suadet a diabolo et haeresi.

## THEMA.

*Distribuit discumbentibus similiter et de piscibus quantum volebant. Joan. VI.*

Quamvis Hebraei in deserto perpetuum et optimum haberent manna, quod gratissimum quemque pro ejusque gustu habebat saporem, nihilominus tamen eo non contenti desiderarunt carnes, et clamaverunt contra Moysen: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man, Num. XI.* Quam querelam Moyses cum ad Dominum detulisset, respondit Dominus: *Cras comedetis carnes: ego enim audivi vos dicere: Quis dabit nobis escas carniū, bene nobis erat in Aegypto ut det vobis Dominus carnes et comedatis non uno die, nec duobus vel quinque aut decem, nec viginti quidem, sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras et vertatur in nauseam, eo quod repuleritis Dominum.* Quod et factum est. Sed adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujusmodi cibus, et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis, vocatusque est ille locus: *Sepulcra concupiscentiae.* Plaga autem illa erat ignis, qui consumpsit murmuratores et cupediarios illos. Quae historia sufficere nobis deberet, ut ne hoc tempore carnes expetamus vel edamus. Sic enim illi a Deo puniti sunt, qui carnes alioqui sibi non vetitas, importunius petierunt et intemperantius devoraverunt; quomodo impunes erunt, qui jejunii tempore vetitas sibi carnes appetunt et vorant? Et haec causa mihi videtur, cur hodie nobis proponat Ecclesia evangelium de quinque panibus; siquidem in eo uti et Marci VIII. magnum quidem instituit Christus convivium, ubi panes apposuit et pisces, nullibi tamen legitur apposuisse carnes; imo nec ipse comedis carnes unquam, praeterquam agnum paschalem. Nemo etiam fuit ex tot discumbentium numero in hodierno evangelio, qui carnes appetierit, sed panibus et piscibus omnes contentissimi fuerunt. Quia igitur medium itineris nostri, per quadragesimam desertum jam confecimus; ne animis concidamus et ob jejunii prolongationem murmuremus, monet nos per hodiernum evan-

gelium Ecclesia, ut ne Hebraeos imitemur, carnem expetendo, vel ob defectum murmurando; sed potius hodiernos Christi auditores et convivas. At quia plurimi sunt puerorum instar et infantum, qui cum pomum aliquod viderint, statim id omnibus votis et ploribus expetunt, nec facile persuaderi possunt, ut eo velut noxio relicto salubrius quid accipiant, ideoque describi illis pomum debet, quasi amarum et venenatum, ideoque etiam rationibus agendum duxi, ut ostenderem, noxias esse carnes iis, quibus jejunii tempore interdictae sunt.

Arborem vetitam quinque de causis relinquere intactam debuissent primi nostri parentes; et ob easdem nos relinquere debemus carnes tempore jejunii.

I. Quia ipsis a Deo vetita erat, quod sufficere eis debebat, ab hoc ut abstinerent. Nobis etiam a carne abstinendum, quia Ecclesia certis diebus prohibuit. Boni enim et laudabilis filii est, obedire voci patris simpliciter, non disquirendo causas. Et sicut Deus non aperuit Adae causam, cur prohiberit ei lignum scientiae boni et mali: quo nimirum exerceat ejus obedientiam; ita necesse non est, ut sciamus vel multum inquiramus, quamobrem hoc vel illud prohibeat nobis Ecclesia, si enim non licet subditis disquirere, cur eorum princeps saecularis hoc vel illud praecipiat, verbi gratia, cur hoc anno bacchanalia vetet, vidualia efferi, etc. quomodo nobis licebit iudicium Ecclesiae trutinare? Quare sicut solus serpens ausus fuit quaerere: *Cur praecipit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno: ita maligni et serpentine animi est curiose disquirere, cur hoc vel illud praecipit sit.* Contra vero ideo laudantur Jerem. XXXV. filii Jonadab, quod cum illis propinarentur scyphi et calices vino pleni, responderint: *Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab pater noster praecipit nobis dicens: Non bibetis vinum vos et filii vestri usque in sempiternum.* Quamobrem meruerunt a Domino audire: *Non deficiet de vir stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Si igitur commendantur isti filii, quod patris ad praecipitum vino abstinerint; cur non item qui ad Ecclesiae praecipitum carnis abstinere? Placuisse sibi etiam in Ecclesia hanc simplicem in abstinentia carnis obedientiam, non semel declaravit Deus. Scribitur in chron. Carthus. de quodam ejus ordinis fratre, qui nisi carnem ederet, e medicis desperatus erat. Prior inter votum abstinentiae et infirmi necessitatem restrictus, tandem pullum assari jubet ac infirmo afferri. Tunc ille: *Domine, tu nosti quia cibum hunc ego sponte mea non requiro, proinde si majes-*

*tati tuae non placet haec in ordine nostro novitas, et infirmorum scandalum, obsecro ut pullus ille avolet.* Et statim perinde ac si vixisset, avolavit. Scribit etiam de S. Honorato adhuc puero S. Gregor. lib. I dial. cap. I. quod cum is a teneris carne abstineret et in magno aliquando convivio parentes ob id indignati, eique insultantes dicerent: *Et unde tibi in his montibus pisces? Nostro et omnium cibo utere.* Sed ille patienter sustinuit. Et ecce dum famulus ex puteo haurit aquam, piscem educit; qui coram convivis allatus, honoratum ab irrisione servavit et pavit. Si ergo voluntaria haec abstinentia Deo placuit, cur non ea, quae fit ex obedientia? Verum ne quis existimet Ecclesiam inani aut superstitioso fine hoc praecipisse; sciendum id fecisse praecipue, ut per carnis abstinentiam carnem mortificaremus; tum quia carnis esus magis ab homine appetitur, et sic homo seipsum vinceret atque fræneret ab eo, quod maxime appetit; et quandoquidem non ab omnibus possumus abstinere ad exemplum Christi, saltem in aliquo et maxime delectabili abstinere; tum quia carnalium cogitationum et concupiscentiarum seminarium quoddam est, magis quam alii cibi. Cum vero juniorum, et hoc maxime quadragesimae tempore ad festa ventura preparari debeamus, et mundare vasa corporum nostrorum, ut digna fiant ad recipiendum panem eucharistiae, merito Ecclesia carnem praeter aliis vetuit cibis. Tum denique ut per hoc probaret atque exerceat nos in obedientia et Dei amore; ut qui non ab iis, qui gustu ingrata sunt, abstinemus, sed ab iis quae gratissima, ac proinde pure propter Deum. Quam ob causam etiam Sanctus Basilius (hom. IX. quod Deus malorum causa non sit) vult Deum vetuisse Adamo arborem, quae gratos et delectabiles fructus ferebat, ut Adam inde abstinens, non sectaretur proprium appetitum, sed Dei voluntatem. Sed Scripturam requirunt haeretici. Damus etiam illam: *Nonne scriptum est Matth. XVIII. Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Quod si dicant Ecclesiam nil debere, aut posse praecipere, nisi quod scriptum est; dicant, ubi hoc ipsum quod asserunt, scriptum sit. Refert Corozetus ap. Beierlinck, in apophth. Calvinistam quendam regis Angliae curatorem doctorem euidam theologo in convivio, die jejunii assidentem dixisse: *Quam Scripturam adfers domine doctor, contra hunc cibum hodie comedendum? Confestim ille apostoli verba I. Corinth. XI. protulit: Nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* Quo dicto, obstupuit alter et obmutuit. Nam si apostolus recte fecit consuetudinem praetextendo, cur mulieres

velatae incedere debeant, non viri; cur non et nos haereticis, consuetudinem simul et praecipitum allegando, quod si praecipitum Ecclesiae circa hoc non esset, nonne sufficeret consuetudo? Eam autem in Ecclesia semper fuisse, imo et praecipitum patet ex dist. IV. cap. Statuimus, quo Telesphorus papa sextus a beato Petro, qui vixit, Joan. evangelista adhuc superstiti, praecipit per quadragesimam a carnis esu abstinere; ex Consilio Gerund. can. III. ex Concil. Tolet. IV. et VIII. Item Origenes ille antiquissimus, in I. Job. I. III. pag. 494. ait: *Quando jejuniamus, o viri, abstinemus nos, ut non gustemus carnes, neque vinum, neque superfluas escas.* S. Chrysost. homil. in Gen. c. I. ait: *Nusquam hodie (de quadragesima loquitur) tumultus vel clamor vel carniū concisiones vel coquorum discursus, sed omnia illa abierunt, etc.* Tandem si apostolorum tempore hoc nondum praecipitum erat, saltem consuetudo erat.

II. Quia mortifera erat animae imprimis; non quidem secundum suam naturam (secundum hanc enim bona, bonum et suavem habebat fructum) sed prohibitione Dei, secundum quam, gustata afferebat gustanti mortem animae, quia dictum erat Adae: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Morte videlicet imprimis animae, quae est peccatum. Mortifera etiam est caro, interdictis ab Ecclesia diebus; non item secundum suam naturam, uti dicere nos calumniantur haeretici (aliis enim temporibus comedimus: imo et infirmi intra quadragesimam: non immundam dicimus ut Eneclitae, etc.) sed ex prohibitione Ecclesiae, quae praecipit suo in conscientia nos obligat, ut abstinemus, ita ut si comedamus, mortem animae incurramus, seu peccatum mortiferum. Quod autem ita obliget, consentiunt doctores, et patet ex eo quod Ecclesia tam rigide id observari additis censuris praecipit. In Concilio Toletano VIII. capite IX. statuitur, ut quisquis sine inevitabili necessitate atque fragilitate et evidenti languore, seu etiam impossibilitate aetatis, diebus quadragesimae carnis esum praesumpserit attentare, tamquam reus Dominicae resurrectionis et sacrae communionis privetur in pascha, et per integrum annum a carnibus abstinere cogatur. Patet ex libro III. decretal. de observat. jejun. cap. Consilium nostrum, ubi Bracharensis archiepiscopus consuluit Innocentium tertium papam, utrum non etiam puniendi essent, qui egestate et qui imbecillitate urgente carnes vetitis diebus comederant? Et responsum est, non puniendos quidem, tamen pro et cum illis preces fundendas, ne ipsi aliquatenus imputetur. Ecce infirmis vix con-



donabatur, quid factum esset valentibus? Patet ex Theophilo Alexandrino qui l. III. paschali dicit semper in Ecclesia fuisse legem abstinendi a carnibus in quadragesima et criminis reos esse qui carnibus clam vescuntur. Patet ex S. Chrysostomo, qui hom. VI. ad populum Antiochenum ait: « Adveniente jejunijs etsi millies quis exhortetur et infinita crucient et cogant vinum delibare, vel aliud quid jejunijs lege non concessum gustare, omnia quis mallet pati quam prohibitum tangere nutrimentum. » Id quod accurate præstiterunt Constantinopolitani, primo quidem ante Chrysostomi ætatem temporibus Juliani apostatæ, qui tempore quadragesimali idolothyta sola venum proponi jussit, et vetitos Christianis cibos, quos illi nequaquam emere, sed potius famem pati voluerunt, quousque a Sancto Theodoro martyre Constantinopolitano instruerentur, quo cibi genere uti deberent. Refert Nectarius, orat. de S. Theodoro. Secundo post ejus ætatem temporibus Justiniani imp. cum ob rerum necessariorum inopiam secunda statim quadragesimæ hebdomade imp. carnes in foro venum proponendas statuisset, populus qui pietatem sectabatur, neque eas emebat, neque edebat, mortem præeligens, quam ut quidquam de patriis moribus et traditionibus immutaret. Refert Niceph. l. XVII. cap. XXXII. Quod etiam apertius scribit idem Chrysostomus, homil. II. in Genesim, ubi dicit quadragesimam inflectere omnium conscientiam etiam regum et imperatorum ad obedientiam. Quæ omnia clare ostendunt grave peccatum esse, carnibus vesci die vetito, adeoque mortiferam esse carnem taliter comedenti. Terribile est quod Joannes scribit, cap. XIII. in Judam post buccellam videlicet, quam in cæna sumpserat, diabolus introivisse. Sed hoc idem accedit ei, qui carnem vetitam devorat; quia *qui facit peccatum, servus est peccati*, ait Dominus, Joan. VIII. Et si dæmon super lactucam non benedictam sedens, intravit in monialem illam, ut apud Sanct. Greg. lib. 1. dial. cap. IV. quanto certius id fiet spiritualiter quidem, sed perniciosius cum cibo vetito? Quare sicut IV. Reg. IV. filii prophetarum, cum amaras in olla deprehendissent et gustassent herbas, exclamarunt ad Elisæum: *Mors in olla, vir Dei*; ita dico tibi sincere: *Quocumque die comederis, morte morieris*. Quæ autem est illa stultitia, pro exigua buccella mortem sibi emere et cum ea deglutire? Annon æque magna, imo major est atque illa Esau, qui pro modico pulmento primogenituram vendidit? Atque illa Jonathæ, qui pro modico mellis degustato reum mortis se constituit? Atque illa protoplasti, qui pro una ficu vel pomo mortem

emit, et cum ea deglutivit? Atque illa Cleopatæ quæ uno unionis bolo devoravit pretium multorum millium aureorum?

Neque statim excusatum et a peccato liberum se existimet, qui quomodocumque dispensationem impetrat; nisi enim urgentem et rationabilem habuerit causam, vana erit illa dispensatio, quæ absque ejusmodi causa fieri nec debet nec potest. Igitur qui insufficientes et illegitimas afferunt causas vel etiam falsas prætexunt, sibi dictum putent, quod Albertus Magnus dixisse fertur cuidam clerico qui sine urgente causa, per dispensationem plura impetravit, beneficia; nimirum: *Ivisti prius ad infernum sine licentia, nunc ibis cum licentia*.

III. Quia arbor vetita, exitiosa etiam et mortifera erat corpori; ut enim esus ligni vitæ conservasset Adamo vitam, ita arbor vetita illi abstulit et mortalitatem cum plurimis miseris attulit. Similiter etiam vetitus carnis esus pejus angue fugiendus, quia constituit hominem reum non tantum pœnæ æternæ, sed etiam temporalis et censuræ ecclesiasticæ, necnon aliquoties vindictæ divinæ, præsertim quando in contemptum Ecclesiæ ejusque præcepti sit.

Si enim tam cito puniti fuerunt Hebræi ob importunum carnis desiderium et murmur contra Moysen propterea excitatum, cum *adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum et ira Dei ascendit super eos*: si deinde Deut. XVII. præcepit Deus: *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille et auferes, malum de Israel*, quid aliud a Deo expectare potest is quis edit cibos ab Ecclesia sibi vetitos? Et ratio est, quia tales suæ temeritate provocant Deum ad suum ultionem. In litteris annuis patrum societ. sub provinc. Austriac. anno 1592. scribitur, rusticum quemdam hæreticum, die quodam jejunii, catholico rustico insultasse, quod cum ipso edere carnes nollet, necnon arreptam carnem in os oculosque ejus intrudere conatum esse, ac demum ori suo in ludibrium illius, manu sublata ingerere voluisse; sed nondum erat esca in ore ipsius et ira Dei ascendit super eum. Hæsit enim aperto et hiante ore, nec ullo conatu conjungere maxillas poterat, quas utique Deus disjunxerat. Perductus Vratislaviam, dum chirurgis et medicis commendatur magno populi concursu ipse interim aperto ore jejunium prædicabat, non loquendo, quod non poterat, sed hiantes. Refert etiam Tilmannus Bredenbach. belli Livonici, pag. XXVII, et ex eo Mart. Delrio, lib. II. disquisit. pag. II. quæst. III. sect. XXVII. Paucis annis ante postquam Torpatensis in Lu-

theranam doctrinam concesserant, die Veneris sancto finita concione civibus e templo B. Virginis revertentibus quidam alium concivem et familiarum invitavit ad prandium, habere se egregie paratum petasonem Westphalicum; alter, sibi esse gallum opipare elixum, quem cupiat in symbolum afferre. Dum ad mensam accumbitur, alter os quoddam galli ambedere volens, imprudens pene ipsum deglutit; quod cum neque transmittere neque eximere valeret, eo ipso die suffocatur: alter postridie paschæ malo spiritu correptus, paulo post furore exagitur, et una cum dæmone exhalat animam. Et licet hæc talia irrideant hæretici, ea tamen cum in publicis extenscriptis, nusquam refellunt. Tametsi vero non omnes statim prævaricatores ita puniuntur, num ideo insolere possunt alii? An nesciunt hanc vitam non esse locum retributionis ordinarij, sed extraordinarij tantum; et si qui hic divinitus puniantur, puniri solum in cautelam aliorum? *Ne dixeris peccavi*, inquit Ecclesiasticus, cap. V. *et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. Altissimus*, inquit, ut insinualet eum, sicut est altissimus et ad puniendum tardissimus, ita ad extremum fore severissimum. Quemadmodum enim lapis quo altius cadit, eo tardius quidem ferit, sed tamen eo fortius; sic vindicta divina, quia est altissima, ideo tarde punit ut plurimum, sed quo tardius, eo severius.

Verum tamen est non decere ut Christianus ob timorem pœnæ legem observet (quamvis nec ille timor rejiciendus sis): christiana enim libertas exigit, ut amore potius recti et timore peccati, quam pœnæ, leges observemus: quo sensu libenter acceptamus, quod hæretici nobis objiciunt et ab apostolo I. Timoth. I. scriptum est: *Justo lex non est posita*. Hoc enim sensu etiam philosophus ille respondit tyranno interroganti, quid præ cæteris mortalibus eximium haberent philosophi; nimirum hoc: *Ut etiamsi omnes leges abolerentur, tamen æqualiter victuri sint*. Quia vero hoc justorum tantum, adeoque paucorum est, idcirco recte posita est lex coercens et pœnam intentans, ut cæteri vel hoc ductu discant benefacere et a malo abstinere. Sic enim et Deus præcepto de arbore vetita non tangenda, pœnæ addidit comminationem.

IV. Quia arbor illa exitiosa etiam erat posteris Adami, non ipsi soli; nam sciebat se per peccatum suum præcipitaturum secum in mortem omnes posteros suos, quod ex pœna mortis sibi intenta facile potuit colligere. Jam vero carnijs esus tempore interdieto, ut plurimum saltem exitiosus etiam est alijs ratione scandalij. Raro enim fit, ut quis eas carnes devoret, nemine om-

nino conscio; alii enim coquant, alii afferunt, alii vident; qui si te infirmum non vident, egenem non vident, quomodo possunt te comedente cibum vetitum, non scandalizari? Mox enim ita argumentantur alii, si huic licet, cur non mihi et alijs? Et licet alter dicat, se habere edendi licentiam, quamdiu non apparet æger aut egenus, tamdiu scandalum præbet; dicunt enim alii: Si tibi cum sis robustus et extra egestatem, conceditur, cur non mihi et alijs? Experientia etiam testis est, nihil pene tam cito, tamque vehementer alios offendere, quam si videant quem talem, extra necessitatem vesci carnibus tempore prohibito. Cujus ratio videtur, quia cum carnis esus præ alijs cibi maxime ab hominibus appetatur, et non nisi ex constitutione Ecclesiæ, certis temporibus sit prohibitus, eo ipso quod vident homines aliquem carnibus vesci contra præceptum, et non illico puniri; putant vel præceptum Ecclesiæ non obligare in conscientia; vel Ecclesiam tacite consentire et legem relaxare, dum non statim punit vel in Ecclesia esse personarum acceptionem, quæ unum obliget, alterum eximat, etc. Non ita statim scandalizantur, cum quem vident peccare contra legem divinam; quia cum illius peccati punitio expectetur ut plurimum a Deo tantum, non possunt inde arguere peccatum id fore multum, vel Deum relaxare pœnam aut accipere personam, etc. quia sciunt Deum puniturum omnia suo tempore. Sumus enim sicut pueri in scholis, qui videntes aliquem peccare impune, nec statim a magistro corripitur, mox illum imitantur, idque licitum esse putant. Unde Dominus eos, quibus scandalum præbetur, pusillos vocat: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis*. Quoniam igitur vetito carnijs esu tam facile, tamque acriter offenduntur proximi, et cum comedente in præcipitum trahuntur, annon magnopere fugiendus est? Quid enim est scandalum præbere, nisi secum in gehennam trahere eos, pro quibus Christus mortuus est? Audi apostolum ad Romanos XIV. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*. Et iterum: *Nolite propter escam destruere opus Dei*, ibid. Exemplum insigne præbuit Eleazarus, III. Macchab. II. qui cum ex mandato Antiochi aperto ore hians compelleretur carnem porcina manducare contra patrios mores et leges, mortem potius elegit, et nec fingere quidem talem comestionem (cum ei amici quidam carnem aliam licitam substituere vellent) voluit, ne quem suæ gentis hominem scandalizaret. Laudatur etiam Mac. II. Mathathias, quod Judæum quemdam, qui ad imperium Antiochi regis sacrificabat idolis in omnium oculis, trucidavit super aram,



unaque illum qui ex mandato Antiochi compellebat ad hoc Judæos. Tanta nimirum est scandalum perniciosam et ruina. Id quod advertere etiam debent illi, qui ob causas rationabiles licentiam acceperunt carnes comedendi. Hos enim ita alloquitur apostolus, I. Cor. VIII. *Videte ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in idolo recumbentem: nonne conscientia ejus cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Hæc apostolus.

Quid vero de illis dicam, qui alios etiam provocant, ut eum ipsis idolothyta talia comedant? Hi sunt bonis illis volentibus jejunare, id quod olim Chananeæ idololatræ erant Judæis secum habitantibus, *clavi scilicet in oculis et lanceæ in lateribus*, ut Num. XXIII. prædictum eis fuit. Illis dii Chananeorum erant in ruinam, ut dicitur Jud. II. Et bonis Christianis sunt cibi talium seductorum. Alliciunt enim oculos esca delectabili, et pungunt suo exemplo vel etiam adhortatoriis verbis, atque ita velut boves ducunt ad macellum. Quibus minatur S. Judas Thaddæus in sua epistola, dicens? *Væ illis qui in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt.* Qui enim in via Cain abeunt, nisi qui proximis suis invident opera virtutum, quæ exercent, et ideo seducendo eos, quoad animam occidunt, juxta id Mich. VII. *Vir fratrem suum ad mortem venatur?* Qui doctrinam Balaam docent, nisi qui scandala coram proximis ponunt? Qui sequuntur Core, nisi qui illi qui contra Ecclesiæ præceptum rebellant et rebelles sibi adjungunt? Deut. XIII. vocantur tales seductores et rebellium duces, filii Belial, id est, filii diaboli, qui est primus Belial, seu apostata; juxta Septuaginta exleges.

V. Ideo debebat jejunare, quia serpens illis suasit, ut fructum vetitum gustarent, et forte eis porrexit. Atque idcirco etiam Christianus debet abstinere a carnibus hoc tempore, quia ejus comestionem præcipue suadet hæresis. Quemadmodum enim illi ante serpentis suggestionem et curiosam inquisitionem: *Cur præcepit vobis Deus, etc.* nullam habuere tentationem circa arborem vetitam, sed postea primum; ita ante hæreticorum obrectationes et calumnias nequaquam tentabantur Catholici, saltem tam vehementer,

circa carnis comestionem, atque hoc ipso tempore. At postquam Lutherus objicere nobis cepit. Cur præcepit vobis Ecclesia, ne comedere de omni cibo, idque per suos sectatores etiamnum objicere pergit, exinde multi infirmiores graviter tentantur et sæpe decipiuntur. Atque hinc fit, ut, qui carnes edunt tempore illicito, mox putentur id facere ad imitationem hæreticorum, adeoque cum illis clanculum sentire, saltem in aliquibus et ipsismet etiam hæreticis applaudentibus, transiisse ad eorum sectam. Jam vero bonus et sincerus Catholicus adeo vitare debet omnia hæreticorum dogmata et mores, qui Ecclesiæ adversantur, ut ne ad speciem quidem communicet cum illis. Propterea Melchisedes papa vetuit jejunare in diebus dominicis et feriis quintis in odium gentilium et hæreticorum, qui id ex sua superstitione faciebant. Leo papa dominicis diebus et natali Domini, in odium Priscillianistarum hæreticorum. Propterea Catholici olim, qui vescentes vel dormientes ab Arianis rebaptizati erant, imposita linteamina considerunt et in latrinas projecerunt. Valens et Valentinianus imperatores Juliani apostatæ congiarium respuerunt. Valentinianus idem eundem Julianum ad idolorum quidem fanum comitatus est, sed cum idololatra sacrificis roscidis quibusdam frondibus eum aspersisset, illum alapa percussit et vestis partem aqua aspersam abscidit. Quin etiam milites in odium adversæ partis contrarias gerunt vestes, vexilla, colores, etc. ne cum iis in aliquo communicent in præjudicium principis vel religionis suæ. Cum per ludibrium gestant hæretici milites pileos sacerdotales, nostri gerunt cappas prædicanticas; illis in vexillo gerentibus depictum calicem, nos gerimus sacram hostiam. Ita in Francia Hugonottis vocantibus maximum tormentum suum hellicum, Cacciamesse, id est, pelle nissam, nostri suum vocarunt Caccia-presse, id est, pelle prædicam. Sic denique hæretici in odium jejunii nostri carnes vorant die Veneris sancto, et malunt abstinere in paschate, Veneris potius quam dominica die. Atque dicit apostolus ad Rom. XII. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malo.* Quare qui germanus Catholicæ Ecclesiæ filius vult haberi, ab omni eo abstinere debet, quod communionem aliquam cum hæreticis capit.

Et licet aliquis hoc non intendat, nec ad imitationem hæreticorum carnes comedat, aliis tamen ejusmodi suspicionem ingenerat, et præterea saltem a piorum se fidelium communi vivendi more et rigore segregat magno suo damno et dedecore. Similis illi militi de quadraginta

militibus martyribus qui frigoris impatientia a sociis descivit et secessit in proximum tepefactum balneum; cujus solius corona deesse et ab angelis omnia visa est. Cæterum sicut illis defectionem supplevit Deus per alium qui spectaculo aderat janitorem; qui ea visione ad fidem conversus in lacum martyrum insiliit: ita dum nos veterani Catholici tepemus in jejuniis et desilimus ad luxum sæculi atque hæreseos, excitat interim Deus alibi novos Christianos, qui rigide jejunent. Unum alterumve exemplum de Japonensibus audiamus ex P. Petro Gomez in relatione rer. Isp. Adolescens quidam in patriam, quæ gentilis erat, reversus, cum sabbato quodam forte comedisset carnes, oblitus esse diem sabbati, se ipse triduana a carnibus abstinentia mulctavit. Idem cuidam seni accidit; nam cum cædendis in silva lignis operam daret, per incuriam manducarat carnes, deprehenso errore (erat enim dies Veneris) sic indoluit, ut omisso labore domum repetiverit, flagroque asperrimo ultus sit lapsus, atque etiam insequente mox sabbatolabore manuum nullum quæstum facere voluerit. Surgent hi in judicio, etc.

## CONCIO VIII.

## CIRCUMSTANTIE ELEEMOSYNÆ.

- I. Cui dandum, et qui præferendi: 1. Honesti pauperes. 2. Religiosi. 3. Boni pauperes, non negligendi tamen mali. — II. Quando dandum: 1. Ultro et cito.
2. Dum sanus es. — III. Quantum dandum: 1. Pro facultate. 2. Liberaliter. — IV. Quomodo dandum: 1. Hilariter. 2. Cum commiseratione. — V. Quare dandum: 1. Propter Deum. 2. Sine conditione onerosa. — VI. De quo dandum: 1. De juste partis. 2. De optimo.

## THEMA.

*Unde ememus panes, ut manducent hi?* Joan. VI.

Mirum alicui videri potest, cur hodie in media quadragesima legatur evangelium de quinque panibus, adeoque de magnifico illo convivio, quod exhibuit Christus; siquidem nunc tempus jejunii est et abstinentiæ; in illo autem convivio apponebat Christus quantum volebant, et omnes saturati sunt. Nunquid Ecclesia nobis per hoc concedere vult, ut dimisso jejunio celebremus *Lætare* in conviviis et saturitate? Non sane, sed mea sententia videtur nos Ecclesia per hoc monere velle, ut ad exemplum Christi, hoc præsertim tempore, eleemosynæ recordemur, et proinde pauperibus *Lætare* aliquod faciamus, ut ita cum jejunio et oratione junga-

mus eleemosynam. Petrus etiam de Palude in serm. super hanc dominicam, vult Dominum idcirco sublevasse oculos in hodierno evangelio super esurientes turbas ad se venientes, ut monerentur ditiores levare oculos ad pauperum considerandam et sublevandam inopiam. Plerique toto anno ad sua tantum attendunt, ad liberos, propinquos, domesticos, amicos, etc. pauperes non curant. Sed quid ad hæc Tobias? *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini.* Tobie quarto q. d. Si vis ut non avertatur a te facies Domini, ne avertas faciem a paupere. Quod etsi semper faciendum est, quoties occasio est et facultas suppetit, quadragesimali tamen tempore præcipue convenit. Sic enim Isai. LVIII. mandat Deus: *Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operam eum.* In quæ verba S. Gregorius, homil. XVI. in evangelia ait: « Hoc quod tibi subtrahis, alteri largire, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. » Quare cum tempus præsens per seipsum satis prædicet et inculcet eleemosynam, nunc id superest dicendum, quomodo utiliter fiat, quod nonnullius artis est; cum Psalm. XL. non frustra dicatur: *Beatus vir, qui intelligit super egenum et pauperem, cui vide licet, quando, quantum, quomodo, quare dare conveniat.* Quod accurate docet Christus in hodierno evangelio.

I. Quærens, cui dandum? Egentibus et esurientibus uti Christus dedit. Cum enim inter quinque millia hominum non invenirentur plures quam quinque panes et locus desertus esset, ut dicunt alii evangelistæ, quis dubitet omnes illos vere egentes et esurientes fuisse? Idcirco enim Dominus videns eos, *misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem*, ut habet Marcus. Præferendi vero primo, qui honestis orti parentibus, non audent mendicare, hi enim amplius egent quia honestate prohibentur petere. Unde Atticus Constantinopolitanus episcopus in pauperes munificus ad Calliopium scribit: « Istos trecentos aureos a me accipe, eosque in pauperes uti volueris impende. Velis autem in eos conferre, non qui ventris causa quasi mercaturam per totum vitæ tempus mendicando exercent, sed qui mendicare erubescunt. » Apud Baron. 423. Ratio est, quia major infelicitas est fuisse aliquando felicem, et major paupertas fuisse divitem, et maxima miseria, cum indigeas, non audere opem implorare. Hoc advertit ethnicus ille Arcesilaus, qui audiens Apellem Chium ægrotare et indigere, nec id aliis significare au-